

Hermann Christoph Engelken

**Programma Solenne, Qvo Diem Christi Ab Abrahamo Visum, Hujusque Inde  
Ortum Gaudium Natalitium, ex Joh. IIX. 56. contemplatur : insimulque ad  
præsens Nativitatis Christi Festum rite celebrandum ... Cives Academicos ...  
hortatur, monet, exstimulat**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingii, [1721?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003998062>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1721. Weihn.

A-1256. 170.

M. 1721

PROGRAMMA SOLENNE,  
*OVO*  
**DIEM CHRISTI  
AB ABRAHAMO  
VISUM, HUJUSQUE INDE  
ORTUM GAUDIUM  
NATALITIUM,**

*ex Joh. II. 56.*

*contemplatur, insimulque*

ad praesens Nativitatis Christi Festum  
rite celebrandum, & gaudendum  
in illo gaudium sacrum pium

*DEO acceptum,*

*CIVES ACADEMICOS*

*Ex OFFICII RATIONE*

*iterum iterunque hortatur,  
monet, extimulat*



**HERM. CHRISTOPH.**

*SEREN/*

S. S. Theol. Doct. Ejusque Prof. Publ. Ord.

& ad aed. Joh. Past.

*bodie Acad. Rostoch. RECTOR*

*ROSTOCHII,*

Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1256 170



Luxit, per DEI O.M. clementiam , il-  
 luxit, inquam, Nativitatis Christi FESTUM; FESTUM  
 ANTIQUISSIMUM , cuius jam circa Annua  
 Christi 170. mentionem injicit in Epistola Paschali,  
 Theophilus , Antiochiae Episcopus , teste B. Joh.  
 Hildebrando in Libello de diebus festis p. m. 19;  
 FESTUM CELEBRATISSIMUM, quippe quod  
 Epiphanius in Exposito fidei Catholicae, Opp. Tom.  
 I. p. m. 110. appellare amat ἡ θεοφάνεια  
 i. e. manifestationem, Gregorius Nazianzenus Orat. 38. τὰ θεοφάνεια,  
 i. e. manifestationem DEI, nec non νέων λατ. i. e. natalitia, Ambrosius  
 Sermon. XII. in Festum Nativit. Imperatoris mundi Natalem, Germanis  
 tam veteribus, quam modernis, idem illud salutantibus das Christ-Fest / it:  
 Weynacht/ quasi noctem sanctam, die Weyhe-Nacht/ ut alias istiusmo-  
 di appellations silentio prætermittam, allegatas à B. Jo. Gottl. Moller in  
 Observationum Philologicarum Septenario, Observ. II. p. 15. sqq; FESTUM  
 PRINCIPALISSIMUM, reliquis palmam præcipiens, haud abs re scribente  
 Augustino Serm. XIII. in Natali Domini, Opp. Tom. X. col. m. 133. a. : Non sine  
 gratia prælationis cateris est diebus habendus hic dies ( Nativitatis Christi ) in  
 quo Deus in hominem docetur promotus, unde etiam Chrysostomo in Orat. de B.  
 Philogonio , prædictum Festum audit μηδέποτε omnium Festorum ; FE-  
 STUM DESIDERATISSIMUM , quod Patres V. T. intensissime desidera-  
 runt, & calidissimis votis expetierunt, ipso Salvatore benignissimo diserte  
 profitente Luc. X. 24: Dico Vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerint  
 videre, qua vos videtis, sed non viderunt; FESTUM LÆTISSIMUM ,  
 quod ob letam sui materiam, Nativitatem nempè Servatoris dulcissimi, Chris-  
 tianorum pectora ineffabili perfundit letitia. Illuxit, Cives optimi, Il-  
 luxit, inquam, Festum tam memorabile, tam præclarum, tam exoptatum.  
 O si licuisset Pliis Veteris Testamenti memoriam Jesu, in sui jam salutem natu-  
 grata recolere mente, si licuisset illis capropter Ferias Nativitatis Christi cele-  
 brare, quanto non gaudio suissent exultaturi? Rem futuram soliti erant fidei  
 oculis, ut præsentem, imo ut præteritam, tanquam ex aliqua specula, prospectare,  
 prospectantes eandem, intima gestire voluptate, gestientes voluptate, immensa  
 DEI beneficia plenis annunciare buccis. Mirum hinc non est, eosdem Nativi-  
 tatem

tatem quoq; Christi eminus prospexit, deque illa in sinu gavisos, alta excla-  
massie voce: *Puer NATUS EST nobis, Filius DATUS EST nobis Es. IX.* s. In-  
terim tamen queri cogebantur, se nondum de Christo nato, ac exhibito, sed na-  
scendo tantum, & exhibendo, gloriar, lætari posse, etiamsi aureis Dæi promis-  
sionibus fili, sibi Christum, nascendum demum, ac exhibendum, tanquam jam  
natum ac exhibitum proponerent, gaudiumque inde natalitum conciperent.  
Peculiare autem, præ reliquo canorum Patriarcharum choro, DEI benignitatem  
hoc in passu expertus est illustrissimus ABRAHAMUS, quippe cuius gau-  
dium natalitum ipsa Veritas, Christum innuo, emphaticis plane verbis  
expressit, ita fluentibus, *Joh. II X. v. 56:* Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἡγελιάσας,  
ἴδη τὴν ἵνα εἰσερχομένην, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη. i. e. Abrahamus, Pater  
vester, exultavit, ut videret diem meum, & vidit, ac gavissus est. De ABRA-  
HAMO institutus sermo, quem insani Apellæ Christo multis præferre pa-  
rasangis non fuerant veriti, v. 52. 53. Hic constituebatur communis judaicae  
Genit Genitor, Altissimo ipsi acclamante, *Gen. XII. 2:* *Faciam te in gentem*  
*magnam*, & iterum, post factam nominis mutationem, ingeminante, *Gen.*  
*XVII* s. *Patrem multitudinis gentium efficiam te,* Hic, beneficio beneficium  
trudente, eligebatur celissimus Parens Messia, tunc temporis certo promis-  
si, cum diserte dicatur, *Gen. XXII. 18.* *In semine tuo (Christo Gal. III. 16.)*  
benedicentur omnes gentes. Hic evadebat Pater omnium credentium, *Rom.*  
*IV. II.*, exemplo fidel egregio prælucendo, alios tam à Judæis quam Gentili-  
bus satos, ad geminam fiduciam exstimalando, hancque adeò iisdem feli-  
citer quasi ingenerando. Hic constanter DEO adhærebatur, nullis adversæ  
fortunæ procellis cedens, uti vel ex *Gen. XXII. 1.* sqq. ad oculum patet. Ex  
*Midraschim*, in *Schalschelet Hakkabala* p. 8. memoriae proditur, Abrahamum, adhuc juvenem, idola Thara, Parentis sui, fregisse, & ideo ab ipso Pa-  
rente apud Nimrodum accusatum, nulla planè ratione ad idolatriæ feedi-  
tatem perduc'i potuisse, jussisse nimirum Nimrodum, ut Abrahamus adora-  
ret ignem, sed hunc regefisse, malle se adorare aquam, quæ ignem extingue-  
re potis est; præcepisse ergo Nimrodum, ut veneretur aquam, sed hunc  
repoluisse, malle se adorare nubes, quæ aquam continent. Tum injun-  
ctum ipsi esse, ut nubes cultu prosequeretur divino, sed eum dixisse, poti-  
us ventum esse colendum, qui nubes dispellit, jussum Itaque procidere  
coram vento, id quoque renuisse, ea ex causa, quod homo adhuc adversus  
ventum queat consistere, tandem Nimrodo perpetuam illusionem animad-  
vertente, Abrahamum in fornacem ardenter conjectum esse, sed illæsum  
inde

Inde iterum prodidisse. Conf. B. Wagenseilii Sota p. m. 192. sq. Sed non opus est, fabellis putidis famam Patriarcharum primarii ire promotum, cuius virtutes à Spiritu S. ipso vividis depinguntur coloribus. Abrahamus itaque est, qui diem Christi vidit, ac exultavit Abrahamus est, cuius voto pio respondit eventus exoptatus. *Vidit, Inquit veritas, ac gavisus est.* Per diem Christi intelligi tempus adventus Christi in carnem, ac visibilis in his terris praesentiae, vel, si mavis, metonymice, per metonymiam adjuncti pro subjecto, ipsa temporis N. T. mirabilia, sc. nativitatem promissi Messiae, ortum Ipsi ex virginie, praesentiam visibilem, passionem, resurrectionem, & sic porro, inficias iri nequit. Conf. Mal. IV. 5. Extra controversiae quoque a leam positum esse judico, per visionem diei hujus id innuit, quod Abrahamus vivendo attigerit suo modo tempus adventus Christi in mundum, vel saltem conspexerit mirabilia illius temporis, Salvatorem sc. carne vestitum, ac exhibitum. Verum enim vero de eo, quomodo praelaudatus Patriarcha stupendas Novi Testamenti res contulit, & inde tacita repletus sit voluptate, eruditorum digitii non sunt aequales. Pontificiorum multi cum Estio in Annotat: ad loca difficilia p. 659, & Zegero ad h. l. Bibl. Critic. Tom. IV. col. m. 1691, ssvaviter somniant, Abrahamum in Limbo Patrum diem adventus Christi cognovisse, & inde gavilum esse. Ita enim Zegerus, *Vidit, ait, dum in limbo, quem vocant, detenus juxta Cyriulum, Angelis nunciantibus, in mundum advenisse desideratum cunctis gentibus intellexit.* Cum enim editas est, inquit, in mundum virgineo partu, Dominus noster, quis addubitataverit, Angelos antiquis illis Patribus annunciasse Salvatoris ortum, sicut & in terra nunciaverunt Pastoribus? At vero talia recensuisse, est refutasse. Quis enim, nisi obesa natis homo, sibi persuaderi patietur, Limbum Patrum dari? Sanè Patres N. T., aequae ac nos, in Christum credidisse, & sic salvatos esse, sanctissimus Petrus docet Act. XV. 11. Qui ergo Limbo cuidam fuissent inclusi? Qui in Limbo à participatione gaudii aeterni remoti? Purgatorium, purgandi à pecunia marsupii causa inventum, sanctores Pontificiorum ipsi rejiciunt, in cuius rei fidem allegare placet verba Thuanii, Historiographi cordati ac fide digni, Historiarum Libr. IIII, ad an. 1547. p. m. 57, scribentis: *P. Castellanus à nonnullis ex Sorbonicorum Collegio -- accusatus est, quod in extrema oratione, quam in Francisci (Galliarum Regis) funere habuit, sperare, ac persuasum habere dixisset, Regis animam, vita sanctissime acta, simul atque è corpore excessisset, protinus celo receptam esse, neque expiatoriis ullis ignibus egnuisse, quasi de tertio loco, ut ipse ajebat, -- addubitasset, eamque ob causam quos-*

quosdam è suo numero ad Regem delegarunt, qui à Johanne Mendoza, regis  
orum dispensatorum Principe excepti - - hoc faceto & apto pro tempore  
responso elisi sunt. Scio, inquit, quid huc veneritis, nempe ubi locorum  
Francisci, heri optimi, anima nunc sit, cum Castellano, ut malevolentie, con-  
troversamini, ceterum vobis confirmare possum, qui Franciscum optimè nove-  
rim, hoc eum ingenio semper fuisse, ut diu herere illo loco, quantumvis amœ-  
no, & commodo, nunquam potuerit, ut mihi ad purgatorium non mora facien-  
da causa, divertisse videatur, sed tantum, ut vinum illac transeundo, à pocilla-  
tore pro more degustandum acciperet, quo audit, - - Sorbonici - -,  
pudore confusi, domum reverterunt. En purgatorum derisum! An pu-  
tas, melloribus fatis dignum esse Limbum Patrum? Quoniam itaque Lim-  
bus hicce exulat, exulet quoque oportet illa sententia, qua Abrahamus in  
Limbo de adventu Christi dicitur gavisus. Si porrò Jo. Clericum dans  
le nouveau Testament p. m. 295. in consilium vocas, is verba Christi exponere  
amat de revelatione temporis Abrahamo divinitus facta, quo Doctor aliquis  
egregius, ab idolatria ad verum DEi cultum ducturus, à DEo sit mitten-  
dus. Abraham sūhaita, inquit, de voir un tems, auquel dieu enverroit  
quelcun aux hommes, pour les instruire clairement de sa volonté, & les ra-  
mener à leur devoir. C'etoit un sūhait, que l' idolatrie generale, & la  
depravation de tout le genre humain fit naître dans son cœur, addens ad  
verba: vidit eum: Dieu lui revela, que ce tems viendroit, lorsqu'il le trou-  
veroit à propos. At vero unde probabit Clericus, diem Christi denotare dun-  
taxat tempus mittendi Doctorem aliquem fidem? Cur dies Christi non  
significaret ipsum tempus adventus Christi, tanquam Doctoris & Prophetæ  
omnium maximi? Hinc, misso Clerico, allorum limina salutare placet.  
Sunt nim: , qui cum Francisco Junio in Notis, ad h. l. p. m. 173, visionem  
diei Christi, de mera apprehensione fidei accipere in delictis habent rati, Ser-  
vatore id indice indigitare digito, quod Abraham fidel oculis eminus  
viderit adventum suum in carnem. Ut ut autem hanc visionem spiritua-  
lem in dubium haudquam vocemus, cum Ebr. XI. 13. talis fidei prospe-  
ctus deprædicetur ac collaudetur; Attamen magis emphaticum est effatum  
dulcissim Servatoris, quam ut nudam cognitionem, meditationem, ac re-  
præsentationem adventus Christi, à fideli Abraham factam, insinuare vi-  
deatur, cum alias parti ratione reliqui quoque Vet. Testamenti credentes  
diem Christi vidisse dicendi sint, neque Abraham peculiare, præ cæteris  
contigisset beneficium. Sunt porro, qui cum Amelio in der Erörterung  
der dundelen Schrifft-Stellen Tom. I. p. 82, existimant, visum esse ab

J.C. 3

Abra-

Abrahamo diem nativitatis Christi, cum Filius DEI, assumpto corpore, tempore V. T., vestitus, sive futuræ incarnationi prælufis. At hac ratione etiam multi alii V. T. fideles, e. gr. Jacob Gen. XXXII. 24. sqq., Iosua Ios. V. 13. sqq. Manoah, Judic. XIII. 17. sqq. aliquæ, diem Christi vidisse, dicendi essent. Acu pariter rem non videtur tetigisse Werensfelsius in Sylloge Dissertationum Theolog. Dissert. XI. p. 443, causatus, visionem Dei Christi factam esse tum, cum Filius DEI, Angeli specie apparens, Filium Abrahamo polliceretur, in quam sententiam animadvertisit Jac. Basnagius dans les Antiquitez judaïques. Tom. II. p. 469. sqq. Vix quoque calculum afferret interpretatio Lampi in Bibliotheca Bremensi Clas. I. Fascic. V. p. 486. sqq, huc rediens, Abrahamum vidisse diem, seu tempus nativitatis Christi, non in his terris, sed in cœlo, cum Abrahamus jam in cœlum translatus, & Filius à Patre in terram missus esset, quam prolixè sub examen vocavit Jo. Laur. Mosheimius in Biblioth. Brem. Clas. II. p. 210. sqq. Sanè dum Lampi urget proprietatem phraseos, monens, videre diem alicujus, idem esse, ac tempus vita alicujus vivendo attingere, destruit allatam suam interpretationem, quia si Abraham in cœlo jam degit quoad animam, mortuus antea fuit. Et si mortuus fuit, non potuit vivendo ( prouti quidem hæc vox communiter, ac usitate sumitur ) attingere diem Christi. Propius, mea quidem sententia, ad scopum collimant, qui typum immolationis Isaaci huc accersere nulli dubitant, docentes, Abrahamum vidisse, animoque suo proposuisse Christum natum & exhibitum, cum Filium suum Isaacum, in monte Moria mactare juberetur & immolare Gen. XXII. 2. Quemadmodum enim, qui picturam alicujus rei, e. gr. urbis, regionis, hominis &c., fixo contemplatur obtutu, ipsam rem menti sive præsentat, de illa cogitat, eamque meditatur; Ita etiam Isaacum, in monte Moria immolandum, Abrahamus spectans, oculos mentis direxit ip Christum, aliquando pro peccatis totius mundi in ara crucis offerendum, sicque in typi imagine Anti-typum consideravit, lustravitque. Huc tendit aureum illud eloquentiæ flumen, Chrysostomus, Homilia 54. in Cap. IX. Joh. p. 279. perorans: τὴν ἀμέραν εὐταῦρον μοι δοκεῖ λέγειν, τὴν τὰς σανερὰς, οὐτε τὴν τὰς κρίσις προσφορὰς, οὐτε τὴν τὰς ιούλιας προδιετύπωσε i.e. Diem meum hic mihi videtur diem crucis significare, quem in arietis oblatione, & in Isaac, prefiguravit. Assentitur B. Danhauerus in Tract: Pra-Adamita Utis p. m. 416. Hic enim, postquam monuisset, dicti Christi voce indigitari diem nativitatis, passionis, resurrectionis &c,

mox

mox subjicit : Instrumenta, & quasi eidemq[ue] fuere varia, assumpti corporis schema, quo incarnationi sua praluse Gen. XIX; typi sacrificiorum, maxime illustris ille in tragœdia Moriāna, in qua per fidem suscepta, parabolice, ut habet ep: Ebr. XI. 17. representabatur Messia unigeniti DEI Filii mactatio sacrificialis, triduana sepultura & resurrectio Gen. 22, promissio non testamento solum, sed & Sacramento circumcisōnis confirmata. A Danhauero non abludunt B. Job. Bened. Carpzovius in den Evangelischen Fragen und Unterricht Part. I. p. m. 696. sq; Dorschus in Comment in IV. Evangelistas p. m. 1072. & plures. Verum enim vero, ut ut rāv à p[ro]f[essor]e, quod ajunt, largiar, Abrahāmo in Filio suo immolando umbram quandam Messiae, aliquando exhibendi, ac pro nobis in mortem tradendi, contigisse; Attamen magis mihi prægnantem effati Salvatoris gravitatem assequi videntur, qui in visione peculiari Christum, ut puerum, à Virgine natum, ac in terris præsentem, Abrahāmo à DEo esse monstratum, & repræsentatum, adeoque Patriarcham huncce intimo voluptatis sensu affectum esse, cum B. Franzio, de Interpretat. Scriptura Orac. 47. p. m. 451, Glassio in Philol. S. p. m. 1087., Dn. Christophor. August. Heumanno in Bibliotheca Brēmensi Clas. I. Fascl. IV. p. m. 481, sqq. alisque, adstruunt. Et hæc expositio eo facilius admitti potest, quo plura visionum istiusmodi exempla, a Witsio in Miscellan. S. Tom. I. p. m. 19 sqq. enumerata, prostant. Ceterum prolixè adhuc dictum nostrum excutere satagit, ex Reformatis, Joh. Marckius in Exercitationibus Scripturariis, Exercit. XII. p. 284. sqq., qui tamen per visionem diel Christi, prævisionem mentis lætam cum fide intelligere mavult, negans, hic ad peculiare aliquod Abrahāmi fatum & factum spectari l.c. §. XIII. p. 388 sqq. Ita ergo laudatissimus Patriarcha vidit diem exhibiti Christi, eumque vivendo attigit, non quidem ut revera præsentem, tamen in visione repræsentatum. Ita vidit Christum natum, non quidem ut revera mundo donatum, tamen animo ipsius clare revelatum & insinuatum. Ita de Christo nato latatus est. Ita gaudio exsilit natalitio. An vero Nos, Cives Optimi ! Abrahāmo hic concedemus ? An nos gaudium natalitium gaudere intermittemus ? Minime gentium ! Si Abrahamus diem Christi natalitium, qui nondum actu illuxerat, summa exceptit mentis lætitia, quidni nos diem illum, qui jam diu illuminit, intensissimo prosequeremur gaudio ; Gaudete itaque in Domino, & iterum dico, Gaudere ! Phil. IV. 4. Gaudete, nam natus est JESUS, & nascendo absque peccato, effectit, ne nostra natuitas cum peccato nobis officeret.

ceret. *Gaudete, nam natus est Iesus, qui nos à potestate Satanae liberavit.* Plane egregie Augustinus in Natali Domini Serm. XVI, Opp. Tom. X. fol. m. 131. ad commune gaudium natalitii gaudendum, excitat hisce verbis elegantissimis: *Exultent virgines, virgo peperit Christum.* - *Exultent vi-dua, infantem Christum vidua Anna cognovit.* *Exultent conjugata, nasciturum Dominum Iesum Christum Elisabeth maritata prophetavit.* - *Ipsæ Christus puer natus est.* *Exultent pueri, continentiam voventes puer,* Pariter Serm. XV. Fol. 131. a graphicè erumpit: *Gaudemus, fratres, leten-sur & exultent gentes.* *Justum diem nobis non Sol iste visibilis, sed creator invisibilis consecravit, quando eum pro nobis visibilem factum, à quo invisibili & ipsa creata est, visceribus fœcundis - - virgo mater effudit.* Execramini gaudium mundanum, implium, illicitum, festum enim præsens nimis sanctum est, quam ut boatis, clamoribus nocturnis, aliisque nefandis actionibus profanetur ac deturpetur. Detestamini congressus impios, feriae enim præsentes nos vocant in templum, in quo beneficia DEI à Missis ecclesiæ proponuntur ac inculcantur. Aversamini omnem erga DEum ingritudinem, memoria enim nativitatis Christi immortales expōscit gratias. Abominamini cunctam impietatem, nam beneficiorum divinorum ratio perennem expostulat erga DEum obedientiam. O vos felices! si gaudium natalitium gaudebitis sacrum,  
Deoque acceptum.

P. P. ipsa Ima Nativitatis feria,  
Sub Sigillo Rectorali, An.  
MDCCXXI.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003998062/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003998062/phys_0011)

DFG



mox subjicit : Instrumenta, & quasi ēiōmplea fuere varia, ass schema, quo incarnationi sua praevaluat Gen. XIIIX ; typi sacrificium illastris ille in tragœdia Moriana, in qua per fidem suscepit habet ep: Ebr. XI. 17. representabatur Messias unigenitus DEI sacrificialis, triduana sepultura & resurrectio Gen. 22, promimento solum, sed & Sacramento circumcisionis confirmata. A D abludunt B. Job. Bened. Carpzovius in den Evangelischen Unterricht Part. I. p. m. 696. sq; Dorscheus in Comment in IV p. m. 1072, & plures. Verum enim vero, ut ut rāv à p. Qciv largiar, Abrahamo in Filio suo immolando umbram quandam Mel exhibendi, ac pro nobis in mortem tradendi, contigisse; Attamen prægnantem effati Salvatoris gravitatem assequi videntur, qui in liari Christum, ut puerum, à Virgine natum, ac in terris præsemo à DEo esse monstratum, & repræsentatum, adeoque Patria ce intimo voluptatis sensu affectum esse, cum B. Franzio, Scriptura Orac. 47. p. m. 451, Glassio in Philol. S. p. m. 108 stophor. August. Heumanno in Bibliotheca Bremensi Class. I. Faj. 481, sqq. aliisque, adstruunt. Et hæc expositio eo facilius ac quo plura visionum istiusmodi exempla, a Witsio in Miscella p. m. 19. sq. enumerata, prostant. Ceterum prolixè adhuc dic excutere satagit, ex Reformatis, Job. Marckius in Exercitationibus Exercit. XIH. p. 284. sqq., qui tamen per visionem diei Christi mentis latam cum fide intelligere mavult, negans, hic ad pec Abrahami datum & factum spectari l.c. §. XIII. p. 388 sq. Ita ergo Patriarcha vidit diem exhibiti Christi, eumque vivendo attidem ut revera præsentem, tamen in visione repræsentatum. Iustum natum, non quidem ut revera mundo donatum, tamen clare revelatum & insinuatum. Ita de Christo nato latitus dico exilii natalitio. An vero Nos, Crives Optimi ! Abraham demus ? An nos gaudium natalitium gaudere intermitteremus gentium ! Si Abrahamus diem Christi natalitium, qui non exerat, summa exceptio mentis latitia, quidni nos diem illum, coluxit, intensissimo prosequeremur gaudio, Gaudete itaque iterum dico, Gaudere ! Phil. IV. 4. Gaudere, nam natus est secundo absque peccato, efficit, ne nostra nativitas cum peccato

